



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

De Sacramentis. In qua Tractatibus decem de Sacramentis in genere, tum
speciatim, videlicet de Baptismo, Confirmatione, Eucharistia spectata vt
Sacramento, & vt sacrificio: de Pœnitentia, de Suffragiis, Indulgentiis, &
Iubilo, de Bulla Cruciat, de Extrema-vnctione, & demum de Ordinis
Sacramento ...

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

De qualitate beneficij requisita ad ordines. 10

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76649](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76649)

ap. Legi epistolam verbo, Instructus, 16. quæst. 1. agens de requisitis ad Ordines, dixit: Sufficit Monacho, quod tantum bonus sit, licet sit illiteratus, & Dominic. Sorus in 4. distict. 25. art. ult. pag. 60. inquit: Quando Religiosi, qui curam animarum non habent, ordinauntur, non requiruntur, alia scientia, quam ut mysterium Sacramenti intelligant.

18. Quæ dicta sunt de dimiuta Religiosorum scientia pro ordinibus suscipiendis requisita, extendit Villalobos tract. 21. de irregularis. difficult. 34. n. 6. ad Cantores, Canonicos, & Rationarios Ecclesiarum cathedralium ex consuetudine recepta. Sed certe non sunt habenda laxanda. Proh dolor: plures Ecclesie illiteratis abundant, & minus docti, seu potius insipientes pinguius præbendas obtinent, quod in contemptum status ecclesiastici non leuiter cedit.

P V N C T V M I X.

De qualitate ordinandorum, quoad vitam necessaria.

1. Quid in hac re sit iure statutum.
2. Titulus beneficii, vel patrimonij pro minoribus Ordinibus non exigitur.
3. Exigitur pro omnibus Ordinibus sacris, in iis, qui professi non sunt. Excipit Societas Religiosorum.
4. Si sub diaconatu absque beneficio, vel patrimonio sit insignitus, non potest absque eo titulo ad superiores Ordines ascendere.
5. Etsi, aliqui consecrantur, ex Episcopi dispensatione aliquem posse absque predicto titulo ordinari in sacris, rectius alij negant.

1. **C**um non deceat eos (inquit Concil. Trident. sess. 21. c. 2. de reformat.) qui diuino ministerio adscripti sunt cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, uti habetur cap. Diaconi sunt 93. dist. statutum est in Concilio Chalcedonensi relato in cap. Neminem 70. dist. & in Concil. Placent. relato in cap. Sanctorum eadem dist. irritam esse ordinationem illius, qui sine Ecclesia, hoc est, beneficio, aut loco illius patrimonio, ordinatur. At Alexand. III. in cap. Episcopus de præbendis, & specialiter Innocent. III. in cap. Cum secundum Apostolum eadem tit. benignitatis agentes supradictam penam sustulerunt statuentes, ut si quem Episcopus sine certo titulo pro vitam necessariis ordinaret, tandiu ei necessaria subministraret, donec in aliqua Ecclesia ei conuenientia stipendia militie clericalis assignaret, nisi talis ordinatus de sua, vel paterna hereditate subsidium vitam possit habere. Quam legem explicans Bonifac. VIII. in cap. Si Episcopus de præbendis in 6. definiuit, ut si Episcopus, cui commissum est subditos alterius diocesis ordinare, non signatis ordinandis, aliquem sine titulo ad vitam necessaria ordinauerit, teneatur sustentationem ordinati subministrare. Si vero potestas commissa fuit signatis ordinandis, & inter eos aliquis caret titulo, Episcopus designans, & potestatem concedens obligationem subit ordinatum sustentandi. Verum, quia cõperum fuit complures pie-risque in locis ad sacros ordines nullo ferè delectu admitti, qui variis artibus, aut fallaciis configunt se beneficium ecclesiasticum, aut etiam idoneas facultates obtinere, statuit Trid. sess. 21. cap. 2. de reformat. nequis deinceps Clericus secularis, quamuis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, ad sacros ordines promouetur, nisi prius legitime constet, eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quòd ad illius beneficii titulum sit promotus neque ea resignatio admittatur, nisi constito, quòd aliunde viuere commodè possit; & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possunt, nisi illi, quos Episcopus iudicauerit assumèdos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perpecto patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliq; esse, quæ eis ad vitam sustentandam facis sint. Atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extingui vel remitti nullatenus possunt donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti, vel aliunde habeant, unde viuere possint, antiquorum Canonum pœnas super his inuouando.

2. Pro supradictorum explicatione aduerte, titulum beneficii, vel patrimonij non esse pro minoribus ordinibus expostulatum, sed solum pro sacris, scilicet, subdiaconatu, diaconatu, & presbyteratu. Constat ex vsu, & praxi recepta, & colligitur ex cap. Tuis. cap. Episcopus. cap. Cum secundum de præbendis, & cap. Si Episcopus eodem tit. in 6. & ex Trident. ibi. ad sacros ordines. Neque deest ratio: quia ab Ordinibus minoribus potest ordinatus retrocedere vxorem ducens, cap. 1. de Clerico cõuogato: lectus ab Ordinibus sacris Atque ita docent Nauar. lib. 1. cõsil. 14. de tempor. ordinat. num. 1. Nicol. Garcia 2. p. de benefic. cap. 5. numer. 4. Stephan. Dauila 3. p. de censur. disp. 5. dub. 3. circa finem. Aloysius Riccius praxi, resolut. 271. num. 3. August.

Barbosa 2. p. de potest. Episc. alleg. 19. numer. 3. & alij apud ipsos.

3. Prædictus tamen titulus beneficii, vel patrimonij pro omnibus ordinandis in sacris exigitur, nisi Religiosi sint. Religiosis enim profectio loco beneficii voluntaria paupertas succedit, quæ Regum diuitiis præstat, ut bene notauit Henric. lib. 10. cap. 17. §. 3. & ex illo Aug. Barbos. dicta 2. p. de potest. Episc. alleg. 19. n. 4. Valq. disp. 2. 46. c. 6. in fin. Notanter dixi, professis: nam Religiosi non professi, cuiuscunque Ordinis sint, dequeunt ad sacros Ordines promoueri absque titulo beneficii, vel patrimonij ex declaratione Pij V. in sua Bulla, quæ incipit, Romanus Pontifex: edita ann. 1568. pridie Idus Octobris, quam refert Praxis noua episcopalis 1. p. cap. 1. de conferend. ordinibus num. 43. Quæque Constitutio locum habet etiam in nulliter professis, quia verè professi non sunt ex Rotæ decisione relata à Garcia 2. p. cap. 5. num. 11. c. 12. & docuit Riccius in praxi fori ecclesiast. resolut. 270. numer. 2. Barbosa dicta alleg. 19. numer. 5. Bonac. disp. 8. de Sacram. quæst. vnic. p. 5. num. 19. & alij apud ipsos. Ab huius Constitutionis decreto exempti sunt Religiosi Societatis Issy, vota biennij emittentes, qui licet professi non sint, sunt tamen verè Religiosi, idèq; eorum paupertas, quæ ex parte eorum perpetua est, locum beneficii, vel patrimonij obtinet, sicuti si essent professi, ut defuit Gregorius XIII. in sua Bulla, Ascendente. 8. Kalendas Iunij, anno 1584. & Gregorius XIV. in Bulla, quæ incipit, Ecclesia catholica, anno 1591. & tradunt Praxis noua episcop. 1. p. cap. 1. n. 44. Henric. lib. 10. de Ordine, cap. 17. §. 3. Garcia 2. p. de benefic. c. 5. n. 13. Valquez disp. 2. 46. de Ordine, cap. 6. in fin. Barbos. alleg. 19. n. 7.

4. Verum, si subdiaconatu insignitus sit absque patrimonio, vel beneficio, vel illud casu amittas, non obinde potes ad superiores Ordines ascendere: sed necessariò teneris querere beneficium, vel patrimonium, alias grauius peccabis, ut docent Suar. tom. 5. de censur. disp. 31. sect. 1. n. 39. Barbosa de potest. Episc. alleg. 20. n. 22. Henric. lib. 13. cap. 37. n. 2. Auila 3. part. de censur. disp. 5. dub. 3. Garcia 2. p. de benefic. cap. 5. num. 122. Propter quod Concil. Trident. & reliqui textus indefinitè prohibent ascensum ad sacros Ordines absque beneficio, vel patrimonio: & ratio prohibitionis non cessat ex eo, quòd subdiaconatus susceptus sit: quippe indecentia, quòd aliquis Ecclesiasticus cogatur medicare, vel victum turpi quaestui querere, efficacius procedit in Diacono, & Presbytero, quam in Subdiacono, Concedunt tamen Henric. & Auila locis citatis, posse tecum Episcopus dispensare, si sine titulo ordinatus fuit subdiaconatus, ut ad superiores Ordines ascendas, si illis susceptis speras honestius acquirere sustentationem, quam in subdiaconatu permanens acquirere non poteris, nisi mendicando, vel aliquo vili officium exercendo: quia hæc est causa sufficiens, ut dispensatio concedatur.

5. Aliqui verò Doctores non infimè notæ, nempe, Cordub. in sum. quæst. 36. Henric. lib. 10. cap. 17. ad finem, & lib. 13. cap. 37. §. 2. & lib. 14. cap. 5. n. 3. Vega 1. part. sum. c. 57. casu 1. Gonzalez super reg. 8. Cancell. gloss. 4. n. 36. Auila de censur. 3. part. disp. 5. dub. 5. in fine, affirmant, posse aliquando Episcopus dispensare, ut quis absque beneficio, vel patrimonio Ordinibus sacris initiatur, si sit vir insignis litteris, & doctrina, cui merito præsumi non potest defectum beneficium, vel præbendam. Hæc enim spes, ita proximo certa loco beneficii haberi potest. Sed rectius negant hanc potestatem Episcopo Bonac. Salzedo praxi c. 18. n. 7. Genuein. c. 8. n. 2. Petr. de Ledeco de Sacram. Ord. c. 7. ante vlt. conclus. Rodrig. 2. r. c. 15. n. 15. Et fauet declaratio sanctæ Congregationis relata à Garcia 2. p. de benefic. c. 5. num. 129. Et colligitur ex Trident. vniuersaliter prohibente, ne quis Clericus secularis, quamuis alias sit idoneus moribus, scientia, & ætate, sacris initiatur absque beneficio, vel patrimonio.

P V N C T V M X.

De qualitate beneficii requisita ad Ordines.

1. Beneficium debet esse sufficiens ad congruam sustentationem.
2. Ex beneficio, & patrimonio sufficientia tituli consecrari potest.
3. Redditiu beneficii debent esse certi, & à proprio labore independentes.
4. Beneficium debet esse perpetuum.
5. Ad titulum coadiutoria praxi ordinari non potes, neque ad titulum seminarij.
6. Bene ad titulum beneficii, cuius fructus percipere debet Presbyter factus.
7. Debes actu possidere beneficium.
8. Et pacificè possidere.
9. Nequis prædictum beneficium resignare absolute, nisi mentione facta te fuisse ad illius titulum ordinatum.
10. Item nec sub pensione, quidquid alij contra sentiant.
11. Quid in permutatione dicendum.

12. Non vacat tibi beneficium, si contra Trident. formam resignaveris.
13. Nequis fructus prædicti beneficii hypothecare, aut obligare.

Beneficium, quod pro titulo ad Ordines requisitum est, debet esse sufficiens ad honestè Clericum sustentandum. Quale autem sufficiens censeatur, arbitrio Episcopi remittitur, argumento legis 1. de iure deliberandi, cap. De causis de offic. deleg. & tradit Henriquez lib. 10. c. 17. §. 3. Garcia 2. p. de benef. c. 5. n. 112. ubi n. 115. alios referens affirmat, beneficium, cuius redditus quinquaginta, vel triginta leuta attingunt, sufficere pro titulo ad Ordines: quia non est spectanda qualitas ordinandi, sed illius sustentatio. Ceterum, et si qualitas singularis ordinandi spectanda non sit: ac certe spectanda est qualitas status clericalis assumpti ad cuius honestam sustentationem non videtur sufficiens illa diminuta quantitas assignatio: ponderandum enim est verbum, honestè, quod Concilium non sine causa addidit: indicat enim non tantumque sustentationi beneficium sufficere debere: sed sustentationi congruæ, de cora, commode, competenti, seu honestè, ut bene notavit Barbosa 2. p. de potest. Episc. alleg. 19. n. 9. §. 10. Quare crederem, nullius beneficii vel patrimonij redditus sufficiens esse, nisi valorem centum leutorum attingerent. Et colligi potest ex Tridentino assignante centum pro Rectoris congrua.

14. Contingere autem potest, ut beneficij, vel patrimonij redditus (scilicet sumpti insufficientes sint ad congruam sustentationem) simul sumpti sufficiant, & eo casu promoveri ad Ordines poteris: quia moraliter censeatur debet, tam beneficium, quam patrimonium sufficiens habere, non per se, & distans, sed, utatenus cum alio coniungitur, & ex utroque integra sustentatio coalescit. Sic Zerola 1. p. verbo, Dimissoria, §. 2. Genens. in praxi Neapolitana, c. 81. n. 2. Quaranta in sum. Bullar. verb. Ordo vers. Circa 2. Vgolin. de potest. Episc. c. 16. §. 3. in fine. §. 8. n. 2. Barbosa allegat. 19. n. 14. Bonac. disp. de Sacram. q. 7. n. 5. n. 19.

15. Redditiis autem beneficii congruæ sustentationi sufficienter debent esse certi, & independentes a proprio labore, & industria aliis cogi poteris mendicare, ut bene tradit Marc. Anton. Gen. in praxi, dicto c. 81. n. 2. Quare ex pirantiis, aliisque emolumentis, quæ exercitio suorum ordinum haberi possunt, sufficiens titulus non coalescit: quia ea emolumenta non computantur, ut redditiis certi, ut docuit Garcia 2. part. c. 5. n. 125. Adde supra dictam resolutionem procedere, etiamsi Episcopus se obliget supplere, quidquid defuerit, & etiamsi ex industria, & honesto officio Musica, vel Grammaticæ possit sustentari. Et merito: quia hæc cessare poterunt infirmitate superveniente. Quod aded verum est, ut etiamsi beneficium curam animarum habeat annexam, & illius fructus insufficientes sint ad congruam sustentationem, neque habeas, unde suppleas, non tenearis intra annum ordinari, sed potius debeat illud beneficium dimittere, ut docuit sacra Congregatio relata à Barbosa in remiss. Concil. sess. 21. c. 2.

16. Quapropter beneficium, ad cuius titulum initiari debes, debet esse perpetuum, ut colligitur ex Trident. sess. 21. cap. 2. prohibente, ne alienari possit, & notavit Bonac. disp. 7. q. 1. n. 40. id eoque ad titulum vicariæ temporalis, & capellaniam amovibilem ordinari nequis, quia potes remoueri, & cessare titulus. Non enim ex eo, quod ad ipsarum titulum ordinatus sis, obligatur successor te, in supradicta vicaria, vel capellaniam conservare, aliâ qualitas, & natura capellaniam, & vicariæ temporalis mutaretur: siquidem ratione Ordinis assumpti perpetua redderetur. Atque ita docent Henricq. lib. 10. de Ordine, cap. 16. §. 3. Barbosa allegat. 19. num. 25. tamen contra teneant Salzedo ad Bernard. Diaz. c. 18. nu. 8. Flamin. de resignat. lib. 2. quest. 6. n. 2. Gonzalez in reg. Cancellar. gloss. 5. §. 1. n. 42. cò quod proutis de vicaria temporalis, seu capellaniam amovibilem, nunquam de facto ab eis remouetur, nisi alia provisione concessa, ut docuit Flamin. q. 4. n. 86. & Praxis nova episcopali, p. 6. t. n. 45. in fine. Sed immeritò hæc obligatio parono imponitur.

17. Neque item ad titulum præcisè coadiutoris cum futura successione poteris ordinari: quia non est beneficium; sed spes beneficii, & incerta, cum possit proprietarius supervivere. Si tamen simul cum iure successione aliqua portio competens & sufficiens tibi assignetur, optime poteris ad illius titulum ordinari, sicuti ad titulum pensionis. Sic Nauarr. de orat. c. 20. num. 8. Salzedo ad Bernard. Diaz. cap. 18. num. 7. Moneta de opinion. cap. 4. quest. 8. num. 169. Acofta de Andrade ad Bullam, q. 77. Gonzal. gloss. 5. §. 9. num. 6. Garcia de benef. 2. p. cap. 5. num. 112. Barbosa allegat. 19. num. 23. Neque ad titulum seminarij poteris ordinari, nisi forè tibi assignentur aliqui fructus in perpetuum pro servitio, ut ex sacra Congregatione decretum refert Barbosa in remissionibus ad distinct. cap. 2. sess. 21. & pluribus firmat 2. p. de potest. Episc. alleg. 19. num. 31.

18. Ad titulum autem beneficii, cuius fructus percipere non

potes, nisi Presbyter factus, bene poteris ordinari: quia ea conditio non impedit tituli sufficientiam, & perpetuitatem, ut ex sacra Congregat. decretum docet Garcia 2. p. de benef. cap. 5. n. 110. Franc. Leo in thesauri fori ecclesiast. c. 39. num. 22. Barbosa 2. part. de potest. Episc. alleg. 19. n. 29.

19. Deinde beneficium, ad cuius titulum ordinari, debes actu possidere, nec sufficit illius spes certa, ut colligitur manifestè ex Trident. dicta sess. 21. cap. 2. Quare non sufficit, te esse nominatum, vel præsentatum, postulatam, seu electum: quia quousque possideas non diceres beneficium habere, ut tradunt Salzedo cap. 18. num. 6. Garcia cap. 5. num. 130. Barbosa alleg. 19. num. 28. tamen si ad titulum beneficii querendū affirmant Maiol. de irregularit. lib. 4. cap. 15. num. 3. Sayr. de censur. lib. 4. cap. 14. num. 19. Et fauet Glossa in cap. Oleum. in medio, 61. dist. te promoveri posse. Sed non video, qua ratione hæc sententia sustineri possit, stante Tridentini decisione.

20. Præterea requiritur, ut beneficium non solum possideas, sed pacificè possideas, ut dixit Trident. dicto c. 2. aliâ non habes certum titulum. Quare, si lis mora sit, siue de iure, siue de facto, super beneficium, vel omnes eius fructus, durante ea lite non poteris promovere, ex Glossa in c. Commissa 35. de elect. in 6. verbo, Pacifica, & in Clement. Gratia, verbo, Pacificè, de rescript. & notavit plures referens Barbosa allegat. 19. n. 11. Noverunt dixi, si lis mora sit super beneficium, vel omnes eius fructus, nam ex eo, quod moveatur circa aliquam partem fructuum, si tamen pars, quæ super sit, sufficiens sit ad sustentationem congruam, beneficium litigiosum censeatur non debet, ut ex Glossa locis allegatis, & ex Rebuffo de pacifico possessore, nu. 168. notavit Barbosa allegat. 19. n. 21. Item, contingere potest, litem moveri, non super beneficium, sed super illius possessionem: & tunc existimat. Rebuff. dicto tractatu de pacifico possessore, n. 66. Menoch. de arbitrar. casu 202. n. 18. Flamin. de resignat. lib. 2. q. 3. num. 52. & alij relati à Barbosa num. 19. beneficium non esse censendum litigiosum; sed pacificè possessum, atque aded ad illius titulum te initiari posse. Sed rebus Barbosa dicta alleg. 19. numer. 20. credit, ad prædictum titulum te ordinari non posse, cò quod decisionem iudicij possessorij iudicium peritorum semper imiteretur, iuxta cap. Significaverunt de testibus, & præcipue quia Trident. exigit beneficium pacificè possideri: quod non de proprietate beneficii, sed de ipsa beneficii possessione videtur per verbum illud, pacificè intelligendum.

21. Porò beneficium prædictum, ad cuius titulum ordinatus fuisti, nequis resignare, nisi facta mentione, quod ad illius titulum fuisti ordinatus: neque ea resignatio admittenda est, nisi confitro, quod aliunde commodè vivere potes: & aliter facta resignatio nulla est. Quare duplex conditio ad resignationem beneficii prædicti exigitur. Prima, quod mentionem facias, te ad illius titulum fuisse promotum. Secunda, quod constet, te aliunde habere, unde commodè sustentari possis. Quorum qualibet deficientes, corrumpit resignationem.

22. Hinc oritur difficultas, an possis prædictum beneficium resignare sub pensione sufficiente ad tui sustentationem, nulla facta mentione, quod fueris ad illius titulum promotus? Videris non posse: quia illa non est plena beneficii resignatio, cum fructus illius referres. Et quamvis vera resignatio sit, intentioni Concilij, quæ est, ne mendicare cogaris, plene satisfacis, ob quas rationes firmat hæc sententiam Nauarr. conf. 4. de renuntiat. in nova edit. Flamin. de resignat. lib. 2. q. 6. n. 41. Rodrig. 2. t. sum. cap. 15. n. 12. Sed contrarium verius existimo, cò quod prædicta mentio fuerit expostulata pro forma resignationis, qua deficiente corrumpit actus. Neque intentioni Concilij est plene satisfactum: postulavit namque dictam mentionem, non solum, ut constaret, te habere sufficientia bona, unde vivere posses: quia, si id tantum intenderet in beneficii resignatione, non opus erat exigere fieri mentionem, te ad illius titulum fuisse promotum: sed solum cauere, ne admitteretur resignatio, nisi confitro, quod habeas, unde commodè vivere possis. Cùm ergo Concilium, ultra hanc conditionem, mentionem prædictam expostulavit manifestè conuincitur, aliam intentionem habere, quam ut sufficientia bona ad sustentationem habeas. Intentio ergo Concilij fuit, ut admittens resignationem beneficii, ad cuius titulum fuisti promotus, loco prædicti beneficii pensionem, vel alia bona, ex quibus sustentari debes, subrogares, & vincularer cum eisdem qualitatibus, & conditionibus, ac erat beneficium vincularum. Cui intentioni non satisfacis, nisi in resignatione mentionem prædictam facias. Teneris ergo illam facere, aliâ nulla erit, resignatio. Atque ita tradit Garcia 2. p. de benef. c. 5. n. 215. Addit ad Nauarr. in dicto conf. 4. Vgolin. de potestate Episc. c. 26. §. 8. n. 4. Barbosa allegat. 19. n. 42.

23. Maior difficultas est, an locum habeat prædicta Concilij decisio in permutatione. Et mihi videtur affirmatiue respondendum: quia permutatio est beneficii habiti resignatio, & alterius acquisitio. Si igitur Concilium prohibet resignationes, nisi facta prædicta mentione, consequenter prohibet permutatio.

mutationem fieri: quia sub resignatione permutatio concinetur, ut docet Rebuff. *super reg. de infirmis resignantibus*, gloss. 4. num. 1. & 3. Et præterea beneficium in permutacione subrogatum, cum ad illius titulum non sis promotus, non erit vinculum, sicuti erat beneficium, ad cuius titulum promotus fuisti. Debes ergo ob hanc causam prædictam facere mentionem. Atque ita docent Stephan. Gratian. *discept. forens. c. 159. n. 7.* Gonzalez *regul. 8. Cancellar. gloss. 5. §. 10. à n. 43.* Garcia 2. *p. de benef. cap. 5. num. 218.* Barbola *allegat. 19. num. 43.* Quapropter maxime dubito de decisione sacre Congregationis, relata à Gratiano, & Barbola *suprà*; & in remiss. *Concil. in qua affirmatur*, permutantem beneficium, nulla facta mentione, quod ad illius titulum promotus fuerit, tum esse in conscientia, si beneficium obtentum fuerit omnino æquivalens priori.

12. Quod si beneficium resignaueris, non facta mentione, te ad illius titulum fuisse ordinatum, cum resignatio nulla fuerit, non vacat tibi beneficium: quia nullibi hæc vacatio cauta est, ut tradit Zabellos *in commun. opin. quæst. 561. n. 22.* Gonzal. *in reg. Cancellar. gloss. 5. §. 10. num. 36.* Barbola *alleg. 19. à num. 34.* Quod intelligendum est calu, quod habeas, unde vivere possis: quia tunc non censetur ita grauiter delinquere. At, si cærens sustentatione resignationem feceris, & sic fuerit ab Ordinario admittitur, beneficium tibi vacat, & providendum est à Pontifice, vel à Superioribus Ordinarij admittentis resignationem, iuxta Constitutionem 42. Pij V. datam 6. Idus Augusti 1567. Ordinarius autem prædictam resignationem admittens suspenditur à collatione beneficiorum, & tibi alimenta præstare debet, ut constat ex dicta Constitutione Pij V. & expressius ex Constitutione eiusdem Pontificis incipiente, *Quanta Ecclesie Dei*. Data Kalendis Aprilis, anno 1568. & est 78. in ordine Bullarj. Atque ita tradunt ex sacra Congregatione decilium, Flamin. *lib. 2. de resignat. q. 6. n. 41. & 42.* Garcia 2. *p. cap. 5. n. 218.* Qui aduertunt, in Curia Romana non admitti resignationes, nisi sub clausula, quod aliunde habeat resignans, ex quo vivere possit.

13. Poterit non solum beneficium, ad cuius titulum promotus fuisti, nequis resignare, nisi sub duplici prædicta conditione; sed neque fructus illius hypothecare, aut obligare: quia prohibitus alienare, & hypothecare, & obligare prohibetur: quia est virtualis quædam alienatio, argumento legis vlt. *Cod. de reb. alienand.* Quinimodò nec in subsidium aliorum bonorum in causam iudicari prædicti fructus, si egeas, capi possunt: quia non obligaris soluere, nisi quatenus de congrua sustentatione tibi superest, argumento leg. *Miles ff. de re iudicata*; & pluitibus firmat Barbola *alleg. 19. numer. 48. & 49.*

P V N C T V M X I.

De qualitate patrimonij, seu Pensionis, pro necessaria sustentatione ordinando-rum requisita.

1. *Qui possent ad titulum beneficij, vel patrimonij ordinari.*
2. *Aliqui affirmant, filium, cuius parentes diuites sunt, posse ordinari. Rectius alij negant.*
3. *Potesit filius patrem constringere, ut patrimonium ad Ordines designet.*
4. *Prædicta donatio filio facta reuocari, à patre non potest.*
5. *Negant plures, computandam esse in legitimam.*
6. *Rectius alij affirmant.*
7. *Satisfit oppositio rationibus.*
8. *In bonis immobilibus patrimonium constitui debet.*
9. *Census redimibilis sufficit.*
10. *Ne quis prædicta bona absque Episcopi licentia alienare, nisi habeas, unde commodè sustentari posses.*
11. *Aliis facta alienatio nulla est.*
12. *Satisfit contrariis.*
13. *Si aliunde habeas, ex quo honestè sustentari possis, poteris, nulla licentia Episcopi requisita, alienare prædicta bona, ex communi sententia.*
14. *An, si accepisti patrimonium sub conditione retrodonandi, tenearis retrodonare. Proponuntur varia sententia.*
15. *Quid tenendum.*
16. *Graviter peccat, si suscipias patrimonium sub conditione reprobata à Concilio.*
17. *Bona patrimonialia non sunt bona ecclesiastica, tamen si gaudeant privilegio fori.*

AD titulum patrimonij, seu pensionis, nemo ordinari, nisi Episcopus iudicauerit, necessitati, vel utilitati Ecclesie, eius ordinatione expedire; & confito, patrimonium

seu pensionem, verè ab ordinando possideri, ut dixit Trident. *sess. 24. c. 2. de reformat. in fine.*

2. Hinc oritur difficultas, an filius, cuius parentes sunt diuites, possit sacris initiari ex eo tantum, quod legitimam abundantem expectet? Affirmat Surdus *de aliment. tit. 7. quæst. 37. n. 2.* Mouetur: quia filio congrua sustentatio deficere non potest, cum ius habeat ex bonis paternis congruam sustentationem percipiendi. Etenim bona patris quodammodo sunt filij: ob quam causam censetur filius diues, si patrem diuitem habeat, ut tradit Alexander. *in leg. Suis ff. de lib. & post. lib. Alciat. ibi, n. 10.* Glossa *leg. 2. Cod. Qui atate. lib. 10. & §. Hæc autem. & §. Necessarij. Inst. de hæred. qualis.* Sed rectius Flamin. *lib. 2. de resignat. q. 6. n. 28.* Vgolin. *de potest. Episc. c. 26. §. 9. n. 3.* August. Barbola *de potest. Episc. allegat. 19. n. 60.* Garcia 2. *part. de benef. c. 5. n. 91.* negant, prædictum filium in sacris promoveri posse. Quia Concilium non solum exposulat, ut ordinandus congruam sustentationem habeat ipsè quod illam habeat ex propriis. At viuentem patrem non ex propriis, sed ex alienis competit filio sustentatio. Non igitur fit satis Concilij decreto. Neque verum est, propriè loquendo bona patris esse filij, neque filium diuitem esse ex eo, quod pater diues sit: sed solum fictione iuris: Concilium autem postulat patrimonium, & pensionem, non fictè, sed verè ab ordinando obtineri. Ergo non sufficit illa patris expectatio.

3. Poterit tamen filius, qui sacris initiari intendit, constringere patrem diuitem, ut patrimonium designet ad ordines suscipiendos. Si enim pro matrimonio carnali suscipiendo obligare potest patrem, ut in dotis recompensationem constituat donationem, leg. *si de dotis promissione*, cur non pro statu sacerdotali suscipiendo, qui est spirituale matrimonium, cum ex matrimonio carnali ad spirituale argumentari liceat. cap. *inter corporalia. de translat. Prælat. leg. Sancimus. Cod. de sacrosanctis Ecclesiis.* Atque ita tradunt Santh. *lib. 4. de matrim. disp. 26. sub n. 7.* Marc. Anton. Genuent. *in practica illius ecclesiæ. q. 624.* Barbola *alleg. 19. n. 63.* Gutier. *lib. 2. practica. q. 65. n. 8.* Auendaño. *respons. 17. n. 3.*

4. Donationem autem filio factam non poterit pater reuocare, eo quod reuocatio cederet, tum in præiudicium status clericalis, tum in iniuriam Episcopi, qui sub conditione donationis firmæ, & perpetuæ ordines contulit, aliàs non collaturus. Quinimodò, si ex causa suspendi ordines pater filium melioraret, non posset meliorationem reuocare, ut decidit leg. 17. Tauri, quæ nunc est lex 1. *tit. 6. lib. 5. noua compilat. & tradunt ibi Matienzo gloss. 9. n. 8.* Azevedo *leg. 10. n. 3. tit. 6. lib. 5. noua recopilat.* Cifuentes *dicta leg. 17. num. 1.* Tella, n. 81. Auendaño *respons. 17. in fine.* Couart. *cap. Raynald. de testam. §. 2. n. 7.* Barbola *dicta alleg. 19. n. 61. & 62.* Gutier. *dicta. q. 65. n. 9.* Garcia *cap. 5. n. 116.*

5. Sed, an prædicta donatio filio facta pro suscipiendis ordinibus computari debeat in legitimam, grauis est inter Doctores controversia. Negant Anton. Gomez *leg. 29. Tauri, n. 21.* vbi Tello n. 16. & Valecus & Auend. *glos. 3. num. 8.* Duches *reg. 222. nu. 3.* Azevedo *leg. 10. n. 29. & 30. tit. 6. lib. 5. compilat. noua Matienzo leg. 3. gloss. 2. nu. 14. tit. 8. eodem lib. 5. Ceuallos com. opin. q. 682.* Stephan. Gratian. *disceptat. forens. c. 159. à n. 41.* & aliis pluitibus relatis, Barbola *alleg. 19. n. 99.* Mouetur primò: quia hæc donatio non est necessaria. Non enim, inquit Matienzo *suprà n. 8.* alitrigitur pater ad patrimonium filio constituendum pro ordinibus suscipiendis; sed liber est in illius designatione. Ergo, cum patrimonium designat, non in legitimam necessariam computare debet; sed in meliorationem tertij, & quinti, quam suis descendens præstare potest. Secundò, ut prædicta bona in legitimam computarentur, deberet filius posse de illis liberè disponere, ut docuit Crauet. *cons. 136. incipiente, De anno.* At de prædictis bonis nequit filius disponere: quinimodò prohibitus est ea vendere, & alienare: ergo in legitimam computari non debent. Tertio, & præcipue, bona prædicta filio cõcessa sunt pro alimentis necessariis: at ea, quæ sic conceduntur, utpote concessa ex causa necessitaria, non computantur in legitimam, ut tradunt Gama *decis. 140. n. 3. & decis. 164. & decis. 130. n. 13.* Surdus *de aliment. tit. 8. q. 57. n. 2. & tit. 9. q. 34. in pr.* Molin. *de iustit. tract. 2. disp. 308.* Valacus *tit. 1. allegat. 59. n. 10.* Quarto, donata ob causam, ob quam efficiuntur castrense, vel quasi castrense peculium, in legitimam non imputantur, arg. leg. *Si filius. C. Familia crescentia leg. 5. tit. 15. part. 6. leg. 3. tit. 4. part. 5. & pluribus exemplis exornat Matienzo lib. 3. tit. 8. lib. 5. noua recopilat. gloss. 2. à n. 3. & 11.* Sed bona collata ad ordines in titulum patrimonij, efficiuntur quasi castrensa: siquidem gaudent priuilegijs bonorum ecclesiasticorum, ut multis relatis tradit Azevedo *leg. 10. tit. 6. lib. 5. recopilat. n. 30.* Ergo, & c. Quintò, expensæ factæ pro doctorando filio, in legitimam non veniunt, sicuti docent Rebuffus *de priuileg. scholar. priuileg. 55. n. 3.* Valacus *de partit. cap. 13. num. 175.* Perez *leg. 8. tit. 2. lib. 1. ordinam. & tit. 7. lib. 5. pag. 208.* Neque item veniunt, quæ conceduntur pro ingredienda militia, ut resoluunt idem Valacus *cap. 13. n. 60. & 61.* & plures alij relati à Flores de Menad. *ad Gam. decis. 140. in prin.* Neque, quæ dantur ad consequendam dignita-